

difficultate magis obruere, quam erudire videntur.

Sed quidquid sit de nostrarum Institutionum successu, meam saltem propensissimam voluntatem benigne excipiant studiosi adolescentes, quorum utilitati hunc meum qualemcumque laborem sincere & ex animo consecravi. Porro ab iis hunc unum, solumque expectandum vehementer exopto operæ meæ fructum, ut nempe utilissimum studium alacriter suscipiant, non quidem ad gloriam & doctrinæ ostentationem, sed ad tuendam insinuandamque Religionem. Neque tamen respuenda est doctrinæ fama, dummodo inde adsit gloriæ, honorum, & lucri cupiditas. Persæpe enim feliciter contingit ut vulgaris etiam nec admodum sublimis rerum physicarum cognitio apud gentes minus cultas, nominis splendorem atque auctoritatem conciliet. Hac fortunatissima oblata occasione urendum est, & de religione sermones miscendi: hæc quidem honestæ sunt & omnino licitæ artes; sed tamen præcedat morum vitæque exemplar, atque enixe imploretur divinæ Gratiæ auxilium; nam, ut ait S. August. in epistola ad Sixtum: *Restat ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis . . . sed gratuitum Dei donum esse fateamur.*

Antequam ex hoc sermone ad Physicam